

dumq; in labellum plenum muria, & permittendum ibi horam vnam, aut dimidiati manere. max soli expöendum aequali tempori intervallo. ac de-
mum stragulis sub techo insternendum, donec humor omnis exhaler. quod si
adhuc inadens perseuerer, Soli rursus expōti oportebit. Si vero transferri con-
ueniat, terra operatas radices seruari est necessarium thecis inclusas, dulcique,
aqua, aut imbris quoties dictum est irrigatas noctu operiri, atque interdiu
patere celo. De facultate nihil in tanta luce dicere opus est. Illud narrant in-
colæ Indiæ Orientalis, concisam hanc radicem, permixtamq; alijs herbis, &
acerbo, oleo, ac sale conditam, in acetarijs edi. nam non in quibusque Indiæ par-
tibus præcipue si humidiiores sint, sequè est ac apud nos, acris, & vrens.

*De Gingibere plura vide apud Garciam libro 1. arom. cap. 4.1. qui illud Iridi fa-
cit simile, non Arundini. Acosta vero cap. 32. ait esse folio Lachrymae tibi. Inde di-
uersæ plantæ videntur esse, ut etiam Clusius, & Bauhinus annotarunt. Monardes
autem cum Garcia consentit, vt & Lobellius, qui Siliquam similem Xyridi depinxit.*

DE ATZOTATL Mirabilis Mexicana. Cap. XLVII.



HERBA est *Aitzatl*, folia ferens hirsuta, & mollia, & figuram cordis,
quam longiora sint, æmulantia. caules numerosos, geniculis ru-
bris interstinctos. flores extra rubeos, intra vero carentes, palmum longos
calicum prolixiorum forma, ac radices fibris similes. sapore, & odorem Anisi
profert, non sine quadam acrimonie, frigidorum, montosorumque locorum.

alumna

alumna est, & flores Septembri mense mittere solet. Calida, siccataq; temperie
constat, cum adstringente, & partium crassitate: quamobrem dyarrheas coer-
cer, ventriculum firmat, flatum discutit, & dolorem è frigore natum tollit.

*Videatur hoc esse quedam species Mirabilis Peruiana: respondet enim & figura
totius plantæ, & vires. Acronia enim evidens est in nostra Mirabili.*

De COCOCA QVILITL seu Oleo Aquatico. Cap. XLIX.



COOCOCAHUITL herba
est folia *Ocym* proferens, sed pro-
fundius serrata, ac veluti sinuosa, punctisq;
luteis distincta: caules sexangulos, ternos:
flores Vetonice altilis, seu *Cempoalxochitl*
sylvestris: quorum folia coccinea sunt, in
medio vero apex croceus eminet. Pro-
deunt iij à calicibus quibusdam squamosis.
Cyano haud dissimilibus: radices vero fi-
bratas: & planta trium cubitorum asse-
quitur longitudinem. Flos, foliaq; odora-
sunt, & acris saporis, illum Nasturtij pa-
lis per imitant, vnde euenerit ei nomen.
Edunt eam pro oleo indigenæ. Vrinam,
& menstrua euocat, flatum discutit, cale-
facit ventriculum, crassos humores at-
enuat, cor robustat, & vtero confort quod-
modolibet applicata. Seri semine potest,
ad species *Cempoalxochitl*, vt dictum, re-
ferenda, quod odore etiam eius appetet
indicari.

De TETZMITL TONALLAE Sedo Mistice. Cap. XLIX.

SPECIES videtur *Sedi Tetzmitl Tonalla*. herba namque est folia ferens
longa, & angusta, raraque, & iuxta extrema latiora: caules teretes, flores
vero orbicularis, & carentes ac radices capillis similes. Doloribus vniuersi
corporis medetur, appetitiam excitat, extergit varos, vomitum ciet, vstaq;
curat. Ad vomitum ciendum bibendus est succus, atque ita longis, & infan-
tilibus medetur morbis. Lubrica videtur, & nullo insigni præditasapore, et si,
cum primum lingua admouetur, nescio quid acrimonie sentitur. Nascitur
in calidis Misticæ Inferioris, iuxta littora fluuiorum.

*Convenit hoc *Sedum* cum *Verniculæ* caustica in viribus: figura vero potius
cum *Sedo communis*: Mirantur aliqui in eodem *Sedi* genere esse herbas calidissi-
mas, vt est *Sedum* vrens, alias vero frigidissimas, vt sunt reliqua omnia *Sedi*
genera: putantque in uno genere semper easdem facultates esse debere. hi si diligentius*

sapores plantarum examinarent, et inter se conferrent, rem longe aliter se habere depreenderent. Ut enim pauca è multis exempla proferam, inter Solani species, quae-
dam est insipida, ut Solanum; alia acida, ut Alkekengi; alia acerrima, ut Sili-
quastrum Americanum. Immò inter ipsas Piperis Indici species, Strychnodendrum,
acrimonia caret. Sic in Ramicis genere, Rhabarbarum nostrum, et Oxalis acent, re-
lique species, vel insipida sunt, vel astrigentia. De Pomorum et Pyrorum varietate
in saporibus res est manifestissima. In genere Rapaceo, alia acris, alia dulcis, alia
amara, alia ex omnibus istis constat saporibus. Quin et in eadem planta, omnes sa-
pores inuenire licet: sic in Rhabarbaro nostro radix amara, folium acidum, semen
cortex adstringens. Accedit, nos sepe plantam iudicare insipidam, que tamen subti-
liter examinata, alium in recessu saporem continent: sic Helxine, N. l. metangere, Viola
Martie, initio apparent insipida, tandem tamen post aliquam moram se prodit acri-
monia. Contingit etiam in quibusdam plantis, humiditatem illam excrementiam
successu temporis evanescere, tandemque acrimoniam emergere, ut in Zingibere, Ana-
cardio, atque annozauit Garcias. Unde patet eos errare, qui ob diversitatem facul-
tatum Sedum causticum reliquis nolunt accedere.

Illud tamen apud me dubium non est, in eodem genere semper easdem esse vires,
sed generales tantum, qua de re alibi ex professo dicendum, res enim à nullo tentata,
peculiaris declaranda est opere.

De CHICHIVAL MEMETA, seu Planta latte manante,
Cap. L,

HERBA est Chichival Memeya la-
ete manans, unde nomen. & magna
utilitatis fertur esse medicamentum, seu
planta sui generis sit, sen ad Tithymal-
orum genera pertineat. folia namque pro-
fert pene Castaneæ, serrata, & aspera. cau-
les teretes. flores oblongos, vasculis similes,
rubros, sed cirea extrema in luteum elan-
guescentes. radices vero longas, teneras,
ac fuluas. Nascitur locis saxosis, iuxta frigi-
darum regionum montes. Vacuat cortex
eius sebe quartana aut tertiana laborantes
adeo scelici succellu, ut agrotus statim ab
evacuatione reddatur interdù incolumis.
Assumendus autem duarum drachmarum
pondere, ex aqua solutus. Sunt qui mi-
scant, commendandi saporis gratia, qua-
tuor grana Cacaui, totidemq; Poticas nu-
ces, aut amygdalas, atque ita propinent die,
quietis matutino tempore, & vitato somno,
ve cu m cetera assumuntur pharmaca, fieri consuevit.

Vix

Vix in Tithymalorum classem reduci potest hac herba, quantum ex descriptione.
Et leuce coniugere. folia enim affera, serrata, flos digitali similis, radix longa lu-
tea, inter Eulas non reperiuntur. Quid si ad Campanulas referatur? licet ac imonia
illis nulla insit.

De PYCIELT, seu Tabaco, Cap. LI.



PLANTAM, quam Mexicenses
Pyciel, seu Telt vocant, ab Haitinis ap-
pellatur Tabacus, à quibus non ad Indos fo-
los, sed & ad Hispanos id defluxit nomē, eo
quod suffumigis admisceretur, quæ Tabac-
os etiam nuncupare consueverunt. à Bra-
silianis Petum, ab alijs Herba sacra, à non-
nullis Nicotiana dicitur. Non est autem vna
huius plantæ species. alij namque tres in
hoc antiquo Orbe reperiiri affirmant, ac
plantam hanc in Tabacum maiorem, mi-
norem, & minimum partiuunt. At quia
maioris, minorisq; Tabaci differentia pu-
silla est (consistit enim in magnitudine, &
longitudine, ac adhærentia foliorum sine
pediculis cauli, vt in maiori obseruatur, in
minori verò folium est paulò minus, longo
pediculo ramis inhærens, ac florum positu-
ra; cumq; id ob causas mutationes in plan-
tis efficientes, latius in procēmio explicatas
contingere potuerit) non immerito duæ

funt tantum species, quæ obseruantur in hac noua Hispania. quarum alteram
Pyciel, alteram verò Quauhyelt appellant. Pyciel ergo herba est, folia ferens
lata, oblonga, ac Personatæ quadantenus similia. caules, quinque pluresvè do-
drantes longos, atque hirsutos, inconditos, striatos, & laues. flores Hyoscyami
lutei similes, eisq; decadentibus vascula prædicti Hyoscyami æmula, referta se-
mine pusillo, Papaueris minore, ac ex rufo nigricante. radicem breuem, non
admodum renuem, sed fibratam. Quauhyelt verò in magnam assurgens alti-
tudinem, Assyriam Malum, Limonē vocatā, æquat. Caule recto multos emit-
tente ramos, & in eis folia mali Assyrij longiora, hirsuta, colore viridi diluti-
ore, vt tota planta diffusa, interdumque folia, soli, & coeli ratione variantur.
quandoque eniam cubitalem longitudinem, ac pedalem latitudinem assecuta
sine pediculo caulem amplectuntur. nonnumquam verò folia minora, pedi-
culis inhærentia ramis conspicuntur. Flores Campanulæ instar fert, concauos,
ac per extremum sex, septemvè angulis distinctos, candicantes, medio verò
purpurecentes, ordine per ramulorum longitudinem dispositos. quibus suc-
cedunt capitula Ocymoidi similia, maiora tamē, plena semine pusillo ex cine-

Species I
Pyciel
herba re-
ginz.

Species II
Pyciel
herba re-
ginz.

Quauhyelt
Nicotiana.

vires.

reo nigricante. Radices multifidae sunt, lignosae, ad fibratae. Seritur ut lactuca, neque aliter, cum expedite, transfertur, & colitur, nullum (modo pingue, & humectum sit) solum respuens. Ambae sunt acri sapore, exiccantis, calidæq; ordine tertio completo temperie. E quibus intelligas licet errorem eorum, qui arbitrantur frigidas esse plantas, & ad Hyoscyami differentias pertinentes. nam tametsi Hyoscyamo luteo prima species forma dispar haud quidem sit, vi-ribus tamen plusquam ex diametro pugnant. quod si loquorem inducunt, non
 est ob frigus, humoremve, quorum, citra dubium, sunt ferè expertes, sed ex
 calore. Excitatis nempe, leuatissq; in caput vaporibus, qui somnum inducunt.
 Causa fa-
cularis
narcotica
in Tabaco,
Celebre,
Tabaci sūf
fumigatio.
 Iam facultates quotidiano cognitas experimento accipe. Folia siccari permissa, atque in fistularem conuoluta formam, inclusa, arundinis cauis internodijs, aut papyraceo canali, altera parte incensa, altera verò ori, naribusq; admota, atque excepto fumo, obturatis ore & naribus, ut ad peccus usque vapor inspiratus penetrare possit, pituitæ expunctionem mirè euocant, asthmati, veluti per miraculum, auxiliantur, difficilem, anhelitum, & inde ortam leniunt angustiam. neque prædictis morbis inspiratus ille vapor, quo diximus modo, tantum remedio est, sed vteri etiam affectibus impensè confert, ac præcipue suffocationibus, qua ob eius ascensus solent accidere. admoto siquidem medicamento in dictum sibi locu, dicto citius restituitur ægri, syncope fugatur, & angustia, morsq; magna ex parte in morbiæ mulieris corpus iam admissa, atque excepta, amouetur, caput roboratur, fons inducitur, sedatur dolor, ventriculus resumit vires, curatur grauedo, laborumq; omnium, casuumque sensus hebetatur, ac otium facultatis animalis (quod possis ebrietatem quandam vocare) animo prorsus illabitur, & inducitur. Quin folia ipsa virentia manibus oleo perunctis emollita, & veluti marcida, concalafacta igne, & ori ventriculi, dorsoq; è regione applicata (ita tamen ne hepar attingatur, quod alias incenderent, atque inflammarent) coctionem iuvant, & satietati egredi medentur. eadem tumorem lienis discutunt apposita, dolores è frigore, ortos sedant, vulnera cancerosa, antiquataq; extergunt, carnem creant, & cicatrice obducunt, si succum foliorum mediocriter contusorum instillaueris vulneri, ac mox arentium puluerem inspergas, & demum folia, ex quibus succum expressis superponas. Sanant eodem modo capiti infictas plagas, dum tamen neque nerui, neque ossa, aut læsa aut conuulsa sint. dolorem dentium concalafacta sedant, conuoluta, & loco dolenti, aut dentibus pituita excavatis, perforatisve admota. Quin & foliorum puluis inspiratus, tractusque naribus, verbera, & cuiusvis generis supplicia non sinunt sentiri. vires addit, auger animum, & ad labores tolerandos infractam vim. illi verò, qui è cortice, quantum capiat putamen nūci deuorauerint, ita inebriantur, ut semimortui, amentesq; exempli iaceant. Verumtamen qui eo auxilio frequentius quamdecat, utrī assuefecit, redduntur decolores, linguam gestant squallidam, & palpitan guttur, hepatis ardore afficiuntur, ac in cachexim, & hydropen lapsi, morte tandem obeunt. at qui eo præsidio vtuntur moderatius, à multis alijs liberari solent incommodis, nam præterquam quod morbo Gallico egredi auxiliatur, venenatis sagittarum iictibus mirè obsistit, si mox plaga infaciatur

Cōtra ve-
renas.

001

ciant puluere, & ita permittatur manere, donec puluis, & venenum in clavi cuiusdam forma copulentur, & coéant. Hoc remedij genus desumptum est ab Indis Anthropophagis, Insularum Haitinæ propinquarum accolis, qui cum ab hostibus venenatis oppeterent plagiis, hac herba sola sibi carentes, reddebantur passim incolumes. confirmatumq; est testimonio Insulam D. Ioannis incolentium, qui cum aduersus Indos illos bellum gererent, multisq; eiusmodi confoderentur vulneribus, solo hoc remedio extremum fatum effugerunt, quoties viscera transfigi non contingebat. quin articulares dolores sedari, tu-moresq; & flatum eo solo auxilio discuti, & inueteratos rebellesq; dissipari dolores. Pulicum etiam vitatur fastidium, si iure decocti foliorum vnuersa domus conspergatur. Paratur ex eius folijs arefactis atque contritis, decem par-tium mensura, & vna calcis, medicamentum adeo ab Indis omnibus experi-tum, & venale, ut illo ferueant emporia. venditur inuolatum folijs *Maij* spicæ, gestatumq; inter buccas & maxillas, suauem somnum, sensumque, & mentis tranquillam quietem inducit, & laborum omnium hebetat sensum, redditq; homines ad quævis corporis exercitia promptos, atque agiles, & præcipue ad iter agendum. Dolorem etiam dentium, & ventriculi leuat, præstatq; alia, qua licet a nobis nominatim dicta non sint, possunt ex prædictis facile comprehendendi. inter quæ illud vulgare non est, oleum, cui sit infixum, conci-
 sum in tenuia frusta, infusum, cholicis mederi. necnon succum eius, & nucleorum *Tliltz apotl* vino permixtum, atque infusum. folia, lychnij modo, obdita a no, quartanam arcere, ac reliquarum febrium frigora. Nec desunt qui eius folia singulis diebus mane ie uno mandi iubent ut podagra liberentur, quo-niam multam picitam in os attrahat, & saliuatione trudatur, & ita in artus confluere prohibeatur. Tum etiam folia *Strumis* uti liter illini. Sunt etiam, qui conficiant syrum ex succo folioru, aut ex decocto, aut stillatitia aqua & laccharo, asserantq; uti liter propinari ad pellendos ventris lumbricos, umbilico tamen folio imposito. necnon aduersus asthma, & Orthopneam, duorum cochleariorum mensura. Sunt etiam & alijs, qui præbent succum, quatuor aut quinque vniuersalium pondere epotandum, asseruntq; aluum vehementer supra infraq; purgari. quod minimè tutum videtur, & fortasse rusticis, & robustis-sibus solum permittendum. Scribit è recentioribus quidam, accepisse ab amico, aqua ex folijs per vitrea distillata organa, se rusticos multos à febribus liberasse, hac paucò tempore ante accessiones propinata. deinde oleum ex relicitis fecibus in sacculo suspensi collegisse, quod ad scabiem vulnerumq; curatio-num singulare fuit, ac eximium. aridarum verò fecum puluere, intertrigines, non modo hominum sed & equorum, cito curari.

Et hic nata est magna inter Autiores controvergia, alijs Tabacum inter Hyoscyami species annumerantibus, alijs sui generis plantam consentibus, quibus posterioribus etiam Author noster accessit, uno ex virium diuersitate argumento vñus. At quam id sit inuidium iam supra declaratum est. Et vel inde patet, plantarum genera, ex diuersitate figure totius planta, singularumq; partium, ab omnibus auctoribus semper disincta sūisse. id enim tamquam primum principium etiam in animalibus, atque adeò rebus omnibus obseruari debet. Hoc vero principio negato, ruit omnis omnium rerum

Medica-
mentū in-
hibens fa-
mem scim
la studi-
nem.

verum naturalium scientia, quæ tota ex similitudine, & dissimilitudine extenorū accidentium conflata est. Sic omnes stellas iudicant Astronomi eiusdem esse generis, quod motu circulari, lumine, figura, &c. conueniant. Et ne longius à proposito abeam, in plantis Persicaria, mitis & acris eiusdem generis censentur. Chenopodiū est species Atriplicis, liceat inter venena computetur. Lolum est viribus differens, tamen inter frumentacea nullo repugnante locatur. Quantum differt Coccoynthis, & Cucumis asininus à reliquis Cucumeraceis? quam venenata dicuntur Ferula, Cicutā, Coriandrum in genere tamen ferulace? Omitto Bursam pastoris speciem Thlaspios, quam frigidam, & sanguinem sistere aiat. Praterco Colchicum, & Crocus, & Hermadazylum, item Napellum, & Anthoram. id rūnum addo, eandem plantam plerumque à se ipsa diversis temporibus differre, saporibus & viribus, ut elegantissime à Galeno de facultatibus simplicium est annotatum.

Alia sequitur non minoris momenti disquisitio, quenam sit causa in Nicotiana alijsq; similibus, & soporem inducat animalibus. Qua in re varie admodum sunt Authorum sententiae.

Plerique in eam abidere tententiam, à facultate frigida vim oriri narcoticam. Quod quidem opinio non immerito nostro displiceret Authori. ob eam præstrem causam, quod in Tabaco summa sit acrimonía, ad tertium nempe gradum usque, contra quam Monardes qui secundum tantum ponit, hinc enim & fauces viri, & non minore purgat per vomitum violentiam, quam ipse Helleborus, & experientia multorum constat. Addi etiam potest, magna illa pinguedo, que in folijs tactu deprehenditur, qualis in Cola louisi, & Carya etiam percipitur, queque non est saliuosus aliquis humor, & in Saponaria, sed mera oleofitas, quod & vel ipso odore & inflammatione facile cognoscitur.

Tandem nullum unquam innovuit Narcoticum, quod non calidum, sive species experientiam, sive rationem. Papaver corniculatum, quod inter Erue species numero, Galeno purgat. Rhaea calidum iudicatur. Commune etiam purgat, si semen adduc lactescens sumatur. Sapor idem testatur amarus, qui etiam magnus est in Camphora, Opio, Hyoscyamo. De vini natura calida, vijs, somnifera, res est nota lippis & tonsoribus. Vnde concludo, vim Narcoticam non à frigore deducendam esse.

Ratio quam Author adducit, hoc modo intelligenda est, non quod Narcotica calore suo vapores exciuent ex cibo in ventriculo contento, sed quod ipsa Narcotica calore ventriculi in fumis pingues abeant, caputq; tentent, impletant, inebriant, & spiritus cohibendo somnum inducant. sic enim in distillatione vini, primo prodit spiritus vini oleosus, sic etiam omnia narcotica & sumosa, varia obijciunt phantasmatā, dormientibus & vigilantibus, & in Datura, Fabis, alijsq; leguminibus rapacis, Bangu Ololiubqui, Opio, vino, Aniso, experientia comprobatum est.

Vires Nicotiane infinite sunt, de quibus etiam Monardem potes consalere, adeò & iure Panacea Americana nominari poscit, quanquam omnibus antiquis medicamentis preferri queat. Cedunt enim Nepenthes, Moly, Pancratium, Panax, quibus singulis aut vis narcotica, aut purgans deest, quorum utrumque in Tabaco reperiatur. Modum quandam purgandi Cerebri singularem, quem à Capucino quodam didici, qui se multos à podagra liberasse afferebat, libuit adiungere. Ex Nicotiane arido folio, quantum luglandi positis includere sumitur, digitisq; compressum linteolo mun-

do, vel serico includitur, & in nodulum nucis Ponica magnitudine figuratur, filoque compingitur. cum nodulum oīs indimus, & lingua ad palatum sublevamus per dimidię horæ spatiū: statim efficitur pūtura tenacissima, sili instar ex ore dependens, qua capite inclinato, in vas subiectum excipitur. Et licet aliqua cerebri vertigo sequatur, ea tamen, nisi cerebrum admodum calide sit nature, statim euanescit, estq; omni-
bus inuidia.

De T LAL CO COLTZIN; seu parua herba, & contorta.
unigl. 1. plurimo enditum. Cap. L I I.

IN V E N I Tithymali genus, apud Terzoquenses, quod ad Helioscopium referri posset, at quia non omnino effigies respondebat, describendam curauimus. Tlalcooltzin, ab alijs Cucultzin dicta, parua herba est, foliastérēs Portulacæ, tenuiora, longiora, & acuminata, viridi colore diffusa per caules alternatim disposita. inter quæ obseruantur aliqua maiuscula, Anagallidis folia æmulantia, trina quaternae, ea parte, qua rami ortum ducunt, nascentia sublutea, extrema vero parte purpurascencia. Caules quatuor, aut quinque prope radicem rubentes, lachis copiosi plenos; radicem longam, extrema sui parte contortam, ac fibratam, corice è rufo nigricanti contextam. Nascebitur ubique, præcipue locis calidis. Habentur ab Indis radices, & folia in magno pretio ad vacuandos omnes humores, drachmæ vnius pondere, & morbum, quem vocant Gallicum curandum, adeo ut in arcanis recondant, nec cuiquam velint facile reuelare.

Tithymalorum usus magnus fuit tempore Hippocratis, qui tamē apud nostros medicos in desuetudinem abiit, licet in Scammonio, quod plerumque Tithymalo adulteratum putatur, aliam personam induerit. Apud Empiricos autem in maximo est usus, non sine magno successu, præstrem in corporibus humidioribus. eoque reuntur, non tantum in pulvere, decoctis, infusioni, sed etiam lachis guttas paucas lati communis infundant, bauriendamque præbent.





De TLANOQUILONI Huaxacensis.
Cap. LIII.

HERBA est *Tlanoquiloni*, folia proferens infernè hirsuta, & alba, Pisellæ vulgaris similia, et si breviora, caulinos hirsutos, & carentes, & in postremis caulinibus capitula, Plantaginis Holostijve capitulis paria. Nascitur in collibus, & campestribus attinentibus ad temperiem agri Huaxacensis. Aiunt, atram bilem vacuare radicem duarum drachmarum mensuram ex aqua deuoratam, & splenis obstrunctiones referat, mederi ictero, atque effusa per vniuersum corpus bili. Initio dulcis appetet, ac paulò post, guttur videtur adurere.

Capitulum depinxit colore caruleo. folia etiam bina, ex aduerso posita, fine villa serra-tura. unde ad Plantagines referri non potest.

De NEX T A L P E.
Cap. LIV.



NEXTALPE, ab alijs *Tlanoquili-* *parli*, herba est, folia proferens Oliuæ, minora tamen, caules teretes, & lignos, & fructum Ciceribus similem: radicem verò surculosa. Drachmæ vnius pondere sumpta radix, humores omnes purgare dicitur: expertum nempe medicamentum, & per quam salubre: acris est, odoraque, quarto ordine calida, & guttur vrens.

Suffruticem fortè Chamelea congenervem licebit ponere: vix enim aliud inuenias cre-rium, quod folia habeat Oleæ, eaque inordi-natè cauli circumposta, bacciferum, quod acre sit, & guttur vrat, nisi Mezeri ali-quam speciem.

De

De CEMPOALXOCHITIC herba. Cap. LV.

CEMPOALXOCHITIC herba est, folia proferens Cicorei, spinifera, ferrata, asperaque, sed circa exortum compressa, ac velut præcincta. caules dodrantales luteosque. & in pappos abeentes flores. vnde nomen. radicem Raphano similem, forma atque magnitudine. Decoctæ radicis infusum Ius, quod amarum est, aluum soluit, vrinam elicit, & ventris dolorem letat. calida enim est, & acris, subtilium partium, & exiccans tertio ordine natura, atque ita tussi quoque deuorata confert. ciet sternutamentum, & pituitam naribus trahit instillata.

De MACATOZ QUITL, seu Sonno Cerui. Cap. LV.

HERBA est *Macatozquitl*, folia ferens Lactucæ, serrata, in caulis caulis, rotundis, cubitalibusque. & in eorum extremis partibus luteos, ac modicos flores, qui in pappos abeunt. ac semen tenue, & fuluum, Syimbrium alterum sapit, odoremq; iucundum fundit: radicem verò Raphani, ex albo tamen purpurecentem, quarto serè ordine calefacit, & exiccat. subtilibusq; constat partibus. Neruos contractos applicata laxat, atque emollit. vrinam euocat, flatum discutit, & ab eo ortos dolores. euocat menses, ventriculumque ob frigus imbecillem confirmat, ulceribus pudendorum medetur.

De MIAHO APATLI, seu medicina spicce Maizij. Cap. LVII.

MIAHO APATLI herba est Alſines haud absimilis, arborum truncis innascens, ab eisq; sumens alimentum, tenuibus, breuibusq; ramulis, rutaceisq; floribus, aut paulò minoribus, & candidis flosculis. Acris est, odorata gustu, & calidæ temperie. Flatus discutit, & dolores à caufa frigida ortos tollit, pugilli vnius mēsura trita, & ex vino deuorata. enixas infaurat, & corrobora: haud aliter ac herba vocatæ *Ciparti* appetentiâ excitat, & satietati medetur. quin & illiniri corpori solet. & emplastris admouendis capitì adhiberi. Sunt qui addant *Ahoyacatl*, *Tancapaz*, *Tetzontequani*, *Tzotzalloyabatl*, & *Tchichipica*.

De TVRBITH. Cap. LIX.

ETSI *Turbith* planta Indiarum Orientalium incola sit, ob frequentem tamen eius usum, & diuerſas ambiguasq; Authorum sententias, inter has nouæ Hispaniæ plantas concisè tractare visum fuit. *Turbith* ergo plantæ nomenclatio Arabica semi-Mauraque est eademq; Persis, ac Turcis recepta. in Guzarata verò, vbi frequens est, *Barchaman*, in Canara cuius ciuitas est *Goa*, *Tiguar* nuncupatur. Magna est inter autores de hac planta controversia. Si quidem Serapion, radicem esse Tripolijs Dioscoridis assert, vt ex eius descriptione patet. à quo fortasse non dissentit Auctienna. Mesues verò esse radicem herba ferulacea, lacte turgentis, scriptum reliquit. Hanc plantam peritiores quidam, esse Thapsiam Dioscoridis affirmant. inter quos non desunt qui dicant, plantam à Mesue descriptam, esse Alipum Dioscoridis. Inter recentiores Gracos Actuarius ponit duplex *Turbith*, album nempe, quod idem Author, esse

esse Alipum Dioscoridis assert, alterum vero Pityle radicem esse statuit. nec desunt, qui dicant, esse radicem Tithymali Myrsinitis, minus tamen recte. *Turbith* vero, quo hac tempestate in officinis vntuntur, recentiores quidam duplex Alexadri- esse aiunt. vnum, quod ex Alexandria assertur, esseq; radicem Scammonij nū album & nigrum. Antiocheni, quod adhuc differt, nam alterum est album & melioris notæ, alterum nigrum, & deterioris notæ. secundum vero officinarum cineritium à colore nūcupatur. estq; cortex radicis Thapsia vulgaris, quæ Hispaniæ freques est. eiusq; radice pleraq; officinæ pro Turpeto legitimo vntuntur, & Apuli ex Indicum Gargano monte per vniuersam ferè Italiam afferunt. *Turbith* vero prædictorum Indiarum Orientalium alumnum locorum, longè aliud est à prenarratis. Herba namque est folia ferens Ibisci, caules volubiles, per terram repentes, dito paulo crassiores, duos dodrantes longos, quandoq; vero valde prolixiores. floresq; interdum candidos, interdum vero ex albo rubescentes. radicem neque magnam, neque longam. Utulis autem est in medicina caulis pars inferior duntaxat, radici proxima. nec desunt qui dicant, corticem illum quem officinæ ostendunt, esse huius plantæ caudicis inferioris, corticem exteriorem, medio exempto. plurimumq; trahi ex Guzare in Persiam, Arabiam, Asiam, & Lusitaniam, quod an verum sit non satis constat. Nascitur in Cambaya, Surrate, Dio Insula, Bazaim, locisq; vicinis, adeoq; in ipsa vrbe Goa, licet inutilior in maritimis locis, sed quinque ampliusq; milliaribus à mari distantibus. De elecione, viribus, ac vsu, prenarratos Authores, aliosq; recentiores consulas.

Varias de Turbith opiniones vide apud Garziam cap. 36. & Bauhinum in Physiopinace.

Turbith Indicum videtur inter Convolvuli species numerari debere. folia enim Ibis reperiuntur in volubili cerulea, flos etiam maluaceis non absimilis. tota planta repit. & plerumque parum, in quibusdam nihil laetis reperias. Tota herba insipida, in jemne tamen quandam reprehendas acrimoniam.

Unde non male faciunt iij, qui Scammonij, vel alterius Convolvuli radices pro Turbith orientali medicamentis miscent.

De T X T E N E X T I C, seu oculis cinereis. Cap. LIX.

FOLIA fundit *Txtenetic* herba, Limonis forma & magnitudine, serrata, tamen, hirsuta, scabra, & subalbescentia. caules tenues, teretes, hispidos, purpureos, ac cubitum longos. flores Chrysanthemi. radicē vero crassam, surculisq; referunt. Prouenit in frigida Xalatlauci regione, in collibus, atque vallis. Radix est nonnihil amara, acris, vrehsque, cuius vim è vestigio persentit guttur gustu, odorā, sicca, & calefaciens ordine tertio, subtiliumq; partium. Dilicutit hæc tusa, atq; apposita, panos, & extergit lepram, & lychenas, curatq; egritudinem vocatam ab Indis Mexicanis *Tzatzayanaztli*, in qua vniuersum dehiscit corpus, illita resina, inspersoq; desuper puluere radicis huius, & praeterea gallinarum pennis. habetur hoc medicamentum à Mexicensibus maximis.

Ad Conyzæ, vel alterius Buphtalmice planta speciem referri potest hæc herba.



RERVM MEDICARVM NOVAE HISPANIAE NARDI ANTONII RECCHI Liber Sextus.

AMARAS HERBAS CONTINET.

IOANNIS TERRENTII LYNCEI PRÆFATIO.

Acri ad amarum saporem iam nostra progrederit Author, & ratione sic duci. & ipsius exemplo Galeni ita persuaderi sibi visus. Cum enim acrem, calidorum maxime principem, saporem in plantis pertractasse, ad eum nunc venit, qui proximum ab illo gradum est affectus. quem amarum saporem esse, medicorum schola tota contendit. Galenus autem, si quis alius, in hoc probando copiosus etiam 4. de simplicium medicamentorum facultate, videri potest. Ibi enim & Platonis & Aristotelis & Theophrasti testimonio cum acridinem omnium calidissimam assertusset, huic statim pedisquam amaritatem, cum etiam dulcissimum & nectarum mellis saporem haud amare cere velis, nisi aut externo ignis ardore, aut interno calidi nostri, & viscerum fervore torreatur, exuratur se, atque ampliorem sic caloris gradum adipiscatur. Quem ob id saporem, & calcis & cineri, & quicquid exacte perassatum fuerit, & fuligini & ipsius flammæ fauille, que omnia aut amara esse, assimilare non dubitauit.

Veruntamen, quamvis hic sapor, insignem & salutarem sapem in multis medicamentis præbeat, eius tamen essentia natura, in tenebrosa adhuc nocte sepulta delitescit. Cur enim tam facilè clari simorum licet Medicorum, Philosophorumque autoritatibus subscribamus, amara omnia, mole & substantia crassa terrena combustaque,

consta-